

## Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 105

In nomine dei aeterni. Rodulfus favente clementia dei clementiaque eius gubernante serenus rex. Notum sit omnibus dei ecclesiae et nostris fidelibus natis et nascituris, qualiter ob animae nostrae remedium et petitiones Irmingardis reginae coniugis nostrae regnique nostri consortem nec non et postulationes fidelis nostri Burchardi Viennensis archiepiscopi damus deo et sancto Mauricio et praesenti archiepiscopo Burchardo ad tuendum et custodiendum, non ad suam propriam, sed ad communem utilitatem fratrum deo et sancto Mauricio famulantium et ad honorem sancti loci, casale cuiusdam Vtelini servientis nostri, hoc est turres veterem et novam cum ceteris aedificiis sicut his terminis clauditur: vetere muro, terra sancti Mauricii iuxta turrem novam, via publica ante portam, terra infantum Raburgi iuxta viridiarium, ita ut nullus regum post nostrum obitum, nulla potestas alia secularis, episcopus nullus sibi proprie vindicet, sed in potestate sancti Mauricii libere remaneat et in tuitione archiepiscopi eiusdem loci ad communem utilitatem clericorum. Ut haec a nobis facta credantur et a posteris nostris non infrangantur, manu nostra roboravimus et sigillari iussimus.

Signum domni Rodulfi (M.) regis pii.

Paldolfus cancellarius recognovi.

Data Viuesci anno incarnationis domini MXIII, regnante domno Rodulfo rege anno XXVI; actum VI idus ianuaris.